

Proximum *Cirsio Rohlenae* Petrak l. c. p. 78, a quo secundum descriptionem planta nostra capitulis subnudis (bracteis tantum 1—3 parvis fulcrantibus), foliolis involucri spinulis validioribus praeditis, inferioribus etiam in pagina interiore spinulosis foliolis interioribus margine cartilagineo-stramineis, omnibus spina longa terminatis. — *C. ligulare* Boiss. et ssp. eius *montenegri-num* (Beck et Szyszyl.) capitulo bracteis magnis involucrato, foliolis involucri apice dilatatis, non cartilagineo-marginatis, nec spinuloso-ciliatis, sed laceris, intus levibus longe abest.

Habitu etiam *C. ciliatum* (Murr.) M. B. ssp. *Szovitsii* Petrak et *C. furiens* Griseb. et Sch. vel *C. Boujarti* (Pill. et Mitterp.) Schltz. — Bip. non dissimile, a primo tamen involucri foliolis exterioribus apice angustioribus, spinulis lateralibus validioribus ac paucioribus basi applanatis, etiam pagina folioli interiore spinulosa, a *C. furiente* et *C. Boujarti* capitulo sat dense arachnoideo, spinulis folioli rarioribus et crassioribus basi planis, colore florum etc. planta nostra bene distinguitur.

M. Hekurave alpium Albaniae borealium, in declivibus dumetosis versus vallem, „Fune Hekurave“ et supra lacum „I kieni ponarit“ supra pag. Bunjaj, alt. 1000—1300 m non procul opp. Djakova, legit S. Jávorka.

#### 6. *Crepis Baldaccii* Hal. ssp. *albanica* Jáv. ssp. nova.

A typo differt caule et foliis sparse puberulis vel saepe glaberrimis, nec glandulosis, involucri capitulorum sparse glanduloso, vel saepe eglanduloso.

*C. turcica* Deg. et Bald. in Ö. B. Z. (1896) p. 417. differt a planta nostra foliis integris tenuiter lanuginosis, indumento involucri niveo-tomentoso.

A *C. moesiaca* (Aschers. et Hut.) Deg. et Bald. in Ö. B. Z. (1894) p. 302 (= *C. Vandasii* Rohl.) differt planta nostra foliis lyrato-runcinatis (nec runcinatis), basalibus interioribus et caulinis inferioribus saepissime integris, inaequaliter dentatis, basi tantum laciniis paucis angustis instructis, parte integra oblongis, foliis basalibus exterioribus lyrato-runcinatis, in parte superiore integris, dentibus accrescentibus praeditis, basi laciniis pluribus angustis vel latis, integerrimis, vel iterum dentatis. Folia suprema linearia, integerrima, bracteiformia.

M. Hekurave alpium Albaniae borealium, in glareosis calcareis sub monte Čafa Drošks supra pag. Dragobija, alt. 1400 m abunde, legit S. Jávorka. — Ad opp. Ipek, in angustis versus opp. Plav, legit E. Csiki.

#### 7. *Crepis bertiscea* Jáv. n. sp.

E sectione *Eucrepis* c) *Berinia* (Brign.) Fiori et Paol., perennis, *rhizomate* perpendiculari vel obliquo fusiformi, collo ramoso, rosulas foliorum steriles et caules floriferos gerente,